

**Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.**

**Wersja sandomierska**

Rękopis Biblioteki Kórnickiej sygn. 801, k. 169v–170r

Edycja krytyczna: Maciej Mikuła

Artykuł 116

[116] Nunc<sup>a</sup> attendatis per quem modum ipse palaciam fecerit. Vocavit eosdem quatuor senes de Scartow, et quatuor canonicos, qui prelaturas habent in summo, primus prepositus, secundus decanus, tertius episcopi vicarius, quartus cellararius. Insuper recepit quatuor barones, ecclesie maioris feodales in Meÿdeburg. Unus fuit marschalcus, secundus dapifer, tertius pincerna, quartus camerarius. Insuper recepit undecim scabinos et scultetum duodecimum. Insuper recepit tres duces laycos, qui primi sunt in eleccione imperiali, et quartus, quem accepit supremus, fuit advocatus ecclesie maioris in Meÿdeburg, hoc est burgravius. Tunc inperator accepit eosdem viginti octo viros prenominatos ac prenotatos et super sedes ipsos locavit palacie, et dedit eis potestatem ex parte sui, quecumque sentencia in Meÿdeburg diffiniri non posset, aut reprobaretur, ibi deberet recipi, et quidquid daretur ritte ac rationabiliter pro iure municipali teneri deberet. Et cum sentencia ante palaciam data fuerit, tunc debet dari in signum hiis viginti octo [s], cuilibet [eorum], solidum aureorum, {et} [k. 170r] et quivis solidus debet valere duodecim solidos talis pecunie aut talium denariorum, cum quibus ibidem consuetudo fuerit forisare. Tunc hiis quatuor dantur quatuor marce, quod quivis marca debet duodecim marcas argenteas valere. Hoc datur hiis viginti octo. Hoc illi dare tenentur, quibus sentencia ad profectum vel ad utilitatem diffinita et inventa fuerit.

<sup>a</sup> ozdobny inicjał wysokości dwóch wersów

[hasła: palacja, cesarz, Schartau, kanonik, prepozyt, dziekan, zastępca biskupa, szafarz, prałatura, baron, Magdeburg, marszałek, stolnik, cześnik, podczaszy, szambelan, ławnik, burgrabia, kościół, prawo miejskie, wyrok, odwołanie, apelacja]